



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LVIII. Quomodo Dominus Deus quorundam paupertali signo
supervenerit manifesto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

devota sua famula nomine Sophia Ecclesiam in *Böddeken* visitare vellet, contigit, ut in itinere prædicta famula in terram ruens genu suum graviter frangeret, & debilis sit effecta ad ulteriorem gradum faciendum. Quod dum Gertrudis Domina ejus certò ducta indicio verum esse comperit, famulâ ejus ibidem supra terram solâ relictâ veloci cursu Monasterij fores petijt, medicum vocat, ac cum eo, ut famula ejus per ipsum curaretur, ire cepit versùs locum, ubi infirmam dereliquerat: quo tempore infirma famula DEI sola jam existens, antequam Domina ejus cum medico ad eam venerat, B. Virginè Mariâ, & sanctum MEINULPHUM devotissimè imploravit, ut sanitas pristina ei redderetur, ne infirmum ejus genu ab aliquo masculino denudatum tangeretur, aut cerneretur: & Oratione facta supradicta famula spe magnâ & fiduciâ, quam ad Beatam Virginem Mariam, & S. MEINULPHUM habuit firmissimè freta, fore, ut per ipsorum piam intercessionem sanitatem consequeretur: & ecce Dominâ suâ unâ cum Medico Monasterij superveniente, & coram famula existente genu antea fractum nunc sanatum, & planè consolidatum reperit. Quo facto dixit famula ad Dominam suam: *Gratias DEO! jam sana facta sum ex sono* (audiverat enim validum strepitum, & sonum ad Orationem factum) *quem audiui.* At Domina interrogando dixit ei: *Fam me ad præsentiam tuam superveniente sonum audiui circa te, erat ille sonus, de quo dicis, & illa respondens ait: ita dilecta Domina mea, protinùsque de terra sine aliqujus hominis adminiculo surgens iter, quod prædicta Domina, & sanata ejus famula facere cæperant, frequentantes ad Ecclesiam Monasterij B. MEINULPHI cum gaudio magno pervenerunt.*

C A P U T LVIII.

Quomodo Dominus Deus quorundam paupertati signo supervenerit manifesto.

Quia præmemoratus Venerabilis Prior in Domino DEO confidentiam habuit singularem, confidentiæ suæ remunerationem sæpius meruit obtinere. Quapropter non possum, nec audeo silere illud obstupendum miraculum, quod ob magnificam

ficam prædicti Prioris confidentiam in Monasterio B. Mariæ Virginis propè Wormatiam extra muros constituti, dum jam idem Monasterium reformari caperat, contingebat. Nam quadam vice dum præmemoratus Prior circa initium præfatæ reformationis per aliquantum tempus moratus fuisset in eodem Monasterio, etiam sequenti die versùs suum proprium Monasterium, quod *Böddeken* nuncupatur, ire se disponderet, convocatis primò in unum ibidem Fratribus singula per ipsos in ejus absentia perficienda disponebat. Quo tempore, quia hyems appropinquabat, de habendis pellicijs, quibus ingens frigus depellere possent, dictum inter illos erat. Et dum prædictus devotus Pater Authorem loci honorabilem Fratrem *Bertholdum Schram* de Civitate Paderbornensi oriundum interrogaret, an hujusmodi pellicea, de quibus dictum fuit, sub Fratrum expensis per ipsum habere vellet procuranda? Rector diligenti considerationis oculo totum solutionis pondus prædictorum pelliceorum sibi imminere cernens, ac paupertatem magnam tanquam pedissequam sibi & Fratribus suis adhærere respondens Priori suo dixit: *Pater potius volumus propter Deum sustinere frigus, quàm debita contrahere, quæ persolvere non possemus.* Fratres de eodem interrogati responderunt: *Pater necessaria corporis nos habere utique videtur maximè necessarium, emanant nobis pellicea, & Dominus Deus suo tempore optimè providebit nobis, ut eadem solvamus.* Conclufum idcirco fuit, ut prædictus Pater de decem pelliceis ad valorem triginta florenorum deberet ijs providere. Audi nunc in DEUM confidens Frater, quid postea contigerit, & novo gaudio cordis tui DEUM in factis lauda, crastino namque die meridiano prandio in supradicto Monasterio facto, & Fratribus cum Lectione Psalmi *Miserere* ad Ecclesiam transeuntibus stabat in via quidam peregrinus non pretiosis indutus vestimentis, extensa manu signum dedit Rectori, ut ad eum venire properaret. Rector verò prout ipse mihi retulit, Christum in persona humili, & despecta confiteri, ut accederet, erubuit, & gratias per Conventum dictò peregrinus desiderium suum adimplere cupiens misit nuntium ad Rectorem supradictum, factum itaque fuit, ut qui antea verecundiâ non bonâ permotus præfatum peregrinum propter multitudinem tunc præsentem despexit visitare, nunc quodammodo compulsus ac se humilians assumpto sibi Venerabili supradicto Patre simul prædictum accesserunt pere-

peregrinum, qui salutatione facta inter cætera, quæ faciebat verba, ita ijs loquebatur: *Domini Domini mihi charissimi, peregrinus sum, ut habitus meus testatur, & singularem peregrinationem jam sum factururus, habeo autem triginta florenos penes me, rogo ut illos à me recipiatis in depositum, quod si reversus ad vos non fuero, prædicti floreni ad usus vestros permanebunt, imò donabuntur.* Florenos acceperunt, & qui pridem despectus illis videbatur, ad secum prandendum invitatus, ac prandio finitò peregrinationem, quam prædixerat, abiens cæpit attentare, ut perficeret, nec post discessum suum ad prædictos Fratres est reversus. O Divinæ pietatis dispositionem! O magnificum DEI donum! supradicti Fratres pelliceis propter depellendum frigus indigebant, pecunijs pro his solvendis carebant, non tamen sine Divini nutûs dispositione conclusum fuit, ut pro certa & expressa pecuniarum summa, videlicet pro triginta florenis, deberent eis pellicea comparari. Nam Dominus DEUS noverat, quomodo Fratribus firmiter in eum sperantibus voluit subvenire. Nonne crastina die de pecunijs providebat, cum quibus prædicta pellicea persolverentur? Miserat namque proprium suum peregrinum, prout antea dictum est, qui præcisè tot florenos apportarat, quot pro prædictis pelliceis erant exponendi. Firmum teneo atque credo, si prædicti pauperes Fratres in Dominum DEUM multum confidentes, majorem summam eodem tempore pro suis necessitatibus ordinassent, illam utique supradictus peregrinus apportasset, & quis dubitaret, eundem peregrinum ad hoc divinitus ordinatum, ut adveniens paupertati Fratrum, qui circa initium reformationis prædicti Monasterij temporalium defectu premebantur, subveniret? Quis namque in Dominum DEUM speravit, & confusus est? Certè nullus.

C A P U T LIX.

*De eo, qui mutuavit proximo, & viceversa donum
DEI sensit.*

Nunc dicendum restat, quid solatij, quidve Divinæ operationis supradictus devotus Prior expertus fuerit circa devotarum suarum Sororum Congregationem in *Wolkmaria*. Accidit namque, ut humilis, ac devota Mater Sororum in *Wolkmaria*

N 3

quodam